



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,  
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

**Fumo, Bartolomeo**

**Antverpiae, 1570**

Inqvisitor.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-30427**

niciatio per modum statuti, q̄ semper respectu futuri fit, tunc ligaret oculum delinquentem, vt dicit glo. in cle. 1. de hære. Ex hoc habes, quod quado prælatus præcipit super occultis omnino, non tenetur quis respondere, quia in hoc non est suus iudex. supra, Exco. munitio. §. 31. Hæc à confessore bene sunt ponderanda, ne pro excommunicato habeat, qui nõ reuelauit, in casu, quo non tenebatur reuelare.

<sup>21</sup> RELIGIOSI & si non teneatur sequi apices iuris in iudicijs, sicut & in electionibus, vt patet per suas constitutiones, maxime in ordine prædicatorum, tenentur tamẽ seruare ea, quæ sunt de essentia iuris, vt q̄ non procedant sine accusatore, vel infamia, & huiusmodi, ac sine testibus: hæc enim prætermitti non possunt, cum sit de essentia iudicij, siue quibus iudicium esset iniquum. vide Archi. Flor. 3. par. tit. 9. c. 15. infra, iudex. §. 18.

<sup>22</sup> RELIGIOSVS de crimine vehementer præsumptus, & veritatem nolens recognoscere, potest poni ad quæstiones, id est, tormenta. Quia quamuis secundum iura ciuilia liber homo ad torturam poni non debeat, sed serui tantummodo, vt ff. de quæstio. per totum. tamen quia faciens peccatum est seruus peccati, vt dicitur Ioann. 8. ided talis vt seruus poni potest ad quæstiones, vt 6. quæstio. 1. canon. illi Et potest arrestari, seu detineri, vt dicit Benedic. XII. in statuto ad minores. nullo tamen modo est à quæstionibus inchoaduni. de regulis iuris cap. cum in cõtemplatione, quia siue prælatus, siue alius de eius mandato, vim inferens clerico parato corrigi, & obedire volenti, excommunicatus est, de sentent. excommunica. vniuersitatis. & hoc tenent Hosli. & Archi. & si statim hoc fieret, nulla præsumptione præcedente, esset appellandi locus per e. non solent. ii. quæst. 6. Quæstiones autem huiusmodi circa clericos, debent esse moderatæ, propter periculum excommunicationis, & propter hoc, quod iudicium pessimum est, quod ex suspitione, vel extorta confes-

sione fit, vt in canon. si faceret dotibus, 15. quol. 6. ff. de quæstio. 1. seruus. quia aliqui contemnunt, aliqui potius metiri volunt, quam pati.

<sup>23</sup> ENORMIA crimina in religioso dicuntur omnia mortalia argu. in d. c. illi. & pro quolibet tali potest quilibet religiosus actari ad custodiam, si expedit correctioni, nõ autem ad penam, sed pro his quæ exprimuntur in statutis sui ordinis, vel eis æquipantur arbitrio discretorum. Non est tamen de facili clericus incarcerandus, quia excommunicatus est, qui iniuriosè clericum detinet, per cap. nuper. de sententia excommunicati. neo propter incarcerationem quis efficitur infamis, nisi quando iustè carceri mancipatur. supra infamia. §. 9. Nam de carcere, & catenis quis quandoquæ ad dignitatem egreditur, vt de Ioseph legitur Gen. 39. cap. & de Petro & Paulo.

## INQUISITOR.

<sup>1</sup> INQUISITOR hæreticæ prauitatis debet attingere quadragessimum annum in clem. dolentes. de hæretic. & constituuntur inquisitores per generales, & prouinciales, ac ministros ordinis prædicatorum, & minorum, secundum glo. ibi. quibus à sede apostolica est commissum, & mortuo summo pontifice, à quo habent auctoritatem, & à quo dicuntur instituti, nõ expirat eorum auctoritas. capi. ne aliquid de hæret. libr. 6. & sunt delegati Papæ, & non ordinarij, vt in c. vt officij. de hæret. lib. 6. Et possunt remoueri per eos, per quos instituntur, ex privilegio, & ex rationabili causa, & non liberè: vt dicitur in directorio inquisitorum, & in literis Papæ, & sunt perpetui, nisi instituantur ad beneplacitum sedis, vt in capit. grauosè. de rescript. & possunt instituere sibi vicarios, vnum vel plures, per dictam glo. & non est necesse dictos vicarios habere quadraginta annos, sed sufficit quod habeant 30. vt declarat Clemens V. in breui directorio Magistro Paulo Burgigella. quod incipit, Cum siout. & quod vidi, & scripsi.

2 **I**N QVVISITOR non potest se introumittere de incantationibus, sortilegijs, quæstionibus vsurarum, nisi in quantum sapiunt manifestè hæresim: vt in c. accusatus. de hære. lib. 6. & ibi glos. Et hæc sunt, quæ sapiunt manifestè hæresim. videlicet, Circa aras idolorum emittere nefarias preces, offerre sacrificia, dæmones consulere, & eorum responsa suscipere. 26. q. 2. can. hi qui. vel associant sibi propter fortes exercendas hæreticos, vel prædicta faciunt cū corpore: vel sanguine Christi, vel in fortibus vt possint habere responsa, puerum rebaptizant, vel his similia: vt ibi dicit glos. Item adorantes aliquam creaturam tanquam Deum, vel exhibentes reuerentiam dæmonibus, vel vocantes eos sanctos, vel inuocantes eos ad aliquod eis impossibile: vt ad futura contingentia sciendum, vel abutentes aliquo sacramento, & huiusmodi, sapiunt manifestè hæresim. Et sic intellige d. glos. & qui dicit vsuram non esse peccatum, vel fornicationem, & huiusmodi, de his potest inquisitor videre: imò sibi mandatur. in clem. vnica. de vsu. & contra eos procedat.

3 **A**D inquisitores non pertinet cognoscere. an aliquid sapiat manifestè hæresim: quia iurisdictione est sibi attributa conditione existente: vt no. glos. in d. c. accusatus. Si tamen certum est, quod sapit hæresim, sed dubitatur an sit manifesta, potest recipere probationes an sit manifesta. & vt intelligit glos. esse manifestam, id est, notoriam, quod eelari nequit vlla tergiversatione. capit. ex parte. de verbor. significatio.

4 **I**N QVVISITORES non possunt quomodolibet abuti portatione aetiorum, nec habere nisi officiales necessarios. in clem. dolentes de hære. nec de crimine hæresis procedere contra Episcopos nisi in literis eorū fiat mentio specialis. quod possunt. in capit. inquisitores. de hære. in sexto. nec procedere prædicatorum inquisitores, contra fratres minores, nec e contra, aliter sunt excommunicati per extra-

uagant. Pauli II. Excommunicatio 95. Nunc autem possunt procedere modo declarato per Clem. VII. in dictis literis. Cùm sicut. Vbi sic dicitur. Tibi, nec non omnibus, & singulis alijs inquisitoribus dictæ hæreticæ prauitatis ex ordine fratrum prædicatorum maxime Lombardie, per vniuersam Italiam constitutis, & deputatis, ac constituendis, & deputandis, eorumque vicarijs in virtute sanctæ obedientie, & in remissionem peccatorum vestrorum districtè præcipiendo mandamus, quatenus omnibus, & singulis etiam Carmelitarū, & aliorum ordinum mendicantium religiosi, vel non mendicantibus, de huiusmodi peste diffamatis, aut aliter suspectis, præcipueque tales errores in suis sermonibus, verbis, seu prædicationibus disseminantibus, per censuram ecclesiasticam appellatione postposita super huiusmodi, ac qualibet alia hæresi titulum imponatis, & postquæ per vos, siue vicarios vestros, aut vestrum, vel eorundem vicariorum aliquos, siue aliquem præsidem monasteriorum, conuentuum, & aliorum locorum, vbi hæresis huiusmodi, vel errores disseminati forent, aut inibi propinquorum præmoniti fuerint, nisi tales infra mensem à die admonitionis computandum, debitis prouisione remedia cum effectu adhibuerint, ac digna pœnitentia castigauerint, de quibus admonenti fidem facere teneantur: & si præsidetes ipsi talia prædicarent, admonitionem præsentis vicinioris conuentus, vel loci respectiue facere sufficiat, contra huiusmodi exemptos vsque ad sententiam diffinitiuam, ad quam ferendam, si fuerit condemnatoria, cum consensu ordinarij procedatis. Contra Carmelitas tamen confessim possitis vsq; ad capturam procedere, dum prædicant populo, vel publice disputant erroneas conclusiones.

5 **I**N QVVISITOR potest indicere sententiam quæstuarijs, & etiã alijs prædicatoribus, quãdo pro negotio fidei congregatione facere contingeret, vel quando

quando afferrent impedimentum ei-  
dem negotio. cap. vt officium. de he-  
re. lib. 6. Et pro eodē negotio potest cō-  
uocare populum. cap. vt commissi. de  
hære. libro sexto. & peritos congrega-  
re. dict. cap. vt commissi.

<sup>6</sup> I N Q V I S I T O R sine Episcopo,  
& econtrā, potest procedere contra he-  
reticos in omnibus, vsque ad incarce-  
rationem ad pœnam, tormēta, & sen-  
tentiam condemnatoriam exclusiue,  
nisi quando nō possent habere copiā  
ad inuicem, infra octo dies, post requi-  
sitionem. clement. 1. de hære. & c. of-  
ficium eo. & quomodo officiales de-  
bent iurare fidelitatem. ibi, in dict. cle.  
& plura alia.

<sup>7</sup> I N Q V I S I T O R potest procedere  
simpliciter, & de plano, absque stre-  
pitu aduocatorum, & figura iudicij. c.  
final. de hære. lib. 6. Quæ verba quo-  
modo intelligantur, habes in clemen.  
sæpè contingit de verborum signific.  
debet tamen procedere per accusatio-  
nes, citationes, iudicia, testes, & hu-  
iusmodi. quæ sunt de essentia iudicij.  
Et quando inquisitor timet in con-  
scientia de periculo testium, deponen-  
tium, accusatorum, si eorum nomi-  
na publicarentur, tunc non publice,  
sed secrete coram Episcopo, vel eius  
vicario in absentia illius & aliquibus  
alijs personis prouidis, & honestis, iu-  
risque peritis, totum processum, super  
quo deliberandum est, manifestet, &  
de eorum consilio, ad sententiam, vel  
condemnationem potest procedere. &  
talibus plena fides adhibeatur, licet  
eorum nomina non fuerint publica-  
ta. Et possunt inquisitores præfatis  
præcipere sub pœna excommunica-  
tionis late, ne reuelent nomina præ-  
dictorum. Non tamen potest Episco-  
po hoc præcipere, nec Episcopus in-  
quisitori, sed Papa præcipit eis, in vir-  
tute obedientiæ ne reuelent. Cessante  
tamen periculo, debent nomina pu-  
blicari, scilicet accusatoris, & testium,  
& quando procedit per viam inquisi-  
tionis, excommunicati, participes, vel  
socii criminis, admittuntur ad testi-  
moniam contra hæreticos, recepta

tores, & huiusmodi, si ex circumstan-  
tijs verum dicere præsumantur capi-  
tū. in fide. in sexto. eod. Secus quan-  
do procederetur per viam accusatio-  
nis, vel exceptionis: quia tales non ad-  
mittuntur: secundum Ioan. Andr. ibi.  
Vnde melius est per inquisitionem pro-  
cedere, si potest.

<sup>8</sup> R E L I G I O S I etiā sacerdotes, qui  
in seculo officium tabellionatus exer-  
cuerunt, possunt etiā exercere in of-  
ficio inquisitionis. per capitul. vt offi-  
cium. lib. 6. eo. Et potest inquisitor ac-  
cipere duas personas loco vnus nota-  
rij, quando non adest: vbi supra, qui  
subscribant se, dicēdo. Acceptauit nos  
pro sufficientibus.

<sup>9</sup> I N factō hæresis potest iudex pro-  
cedere ad inquisitionem, etiā infam-  
ia non præcedente: sed sufficit, quod  
habeat vnum, vel duos testes, vel ali-  
quod iudicium bene probatum: quia  
ex suo mero officio procedit, & im-  
ponitur sibi quod procedat, per clem.  
multorum. de hære. Et quia semper  
procedit contra crimina periculosa de  
aliorum subuersione: ideo non est ne-  
cesse, quod procedat infamia. In hoc  
enim fallit regula secundum Doctor.  
& Barba. concilio 72. & etiam Felin.  
in capit. excommunicamus. el. primo.  
vbi ait. Eo ipso, quod quis discedit à  
communi conuersatione fidelium, circa  
cultum diuinum, potest contra ipsum  
absque alia infamia inquiri de hære-  
si: vt si circa diuina: vt audire missam,  
vel alia sacramenta, est valde negli-  
gens. Iudicium enim est hæresis oc-  
cultæ.

<sup>10</sup> Q V A N D O proceditur in genera-  
li inquisitione, ita quod nec implicite,  
nec explicitè est nominata persona,  
& sunt aliquæ depositiones de ali-  
qua persona speciali, & crimine spe-  
ciali: vt communiter in inquisitione  
hæresis fit, necesse est ante sententiam,  
vel torturam, vel ante omnem inquisi-  
tionem specialem, repetere eosdem  
testes, inquirendo specialiter contra  
talem reum depositum, & de isto cri-  
mine speciali: secundum Panormita-  
in capitul. ad petitionem, de accusat.

in primo not. Angel. de Aret. in tra. suo de maleficijs dicit, quod prudens iudex debet primò recipere testes super delicto, & reo in speciali. Secundo citare reum, & examinare ipsum. Tertio si negat, adducere testes coram eo. Sed hoc non est necessarium in inquisitione hæresis: ut dictum est, imò consuetudo est in oppositum: ut testes liberius deponant, & est in favorem fidei hæc consuetudo, idè servanda, ne alij retardentur à denunciatione.

**STAVITA** locorum, per quæ officium inquisitionis directè, vel indirectè impediretur, vel quomodolibet retardaretur, ipso iure non valent, & rectores locorum illorum per censuram possunt cogi ut revocent, vel moderentur, ne impediât dictam inquisitionem. ca. statutum. de hæret. lib. 6.

**INQUISITOR** potest vocare brachium seculare contra hæreticos per censuram. in dicto capitulo, ut officium, & statutum de duabus dietis, in capitul. nonnulli. de rescriptis. non impedit inquisitionis officium. in dicto capitulo statutum. Potest etiam secundum Ioannem Andræam procedere contra hæreticum in sua diœcesi repertum, licet alibi commiserit crimen: & contra personas quascunque non solum de sua diœcesi, sed etiam alienigenas, & forenses, si ibi delinquunt, etiâ si essent exempti: ut sunt religiosi: quia iste reatus excludit omnem dignitatem: ut in dicto capitulo, ut officium. capitul. ut commissi. eod. libro sexto, ubi habetur, quod etiam possunt procedere contra eos, qui recesserunt de sua provincia, & potest trahere testes de vno diœcesi ad aliâ. per dictum capitulum, ut officium. infra tamen terminos suæ iurisdictionis. Si tamen fratres aliqui essent privilegiati, ut sunt prædicatores, & minores per privilegium Sixti III. & fortè aliqui alij, non possent contra eos procedere, sed ipsi à suis prælatis essent corrigendi.

**PRACTICAM** quâ tenere de-

bet inquisitor, cum primùm ad locum suæ inquisitionis venerit, vel in citando reos, vel recipiendo depositiones, accusationes, formando processus, &c. vide amplè in directorio inquisitionis, & in Summa. Tab. ibi, à §. 10. vsque ad 27. inclusivè, quæ omnia brevitate causa prætermittit: quia huiusmodi ad confessorem non spectant.

**INQUISITOR** ex suo officio potest procedere contra suspectos de hæresi, contra credentes, receptatores, defensores, fautores eorum, impeditores officium suum directè, vel indirectè, vel retardantes. per dict. capitul. ut officium. & capit. excommunicamus. de hæret. & per literas Alexand. II. & Urbani III. quæ incipiunt, Præcunctis, contra blasphemantes. quando sic blasphemando dicunt aliquod hæreticum, ut Deum partialem, impotentem, & huiusmodi: & si in talibus volunt perseverare pertinaciter, sunt seculari curiæ tradendi tanquam impenitentes. Si autem hoc mente non tenent, sed sæpè prorumpunt in huiusmodi verba, sunt iudicandi ut vehementer suspecti. De his diffusè habetur in dicto directorio. Potest etiam procedere contra Christianos transientes ad Iudæos vel Saracenos, contra infideles, qui baptizati retrocedunt, & contra eorum fautores, & cetera, siue sint Christiani, siue non: ut in capitul. contra Christianos. de hære. lib. 6. & per extrava. Nicolai III. quæ incipit, Turbato corde. & Thom. secunda secundæ. quæst. 10. ar. 8.

**SI** Iudæi, vel infideles delinquant circa contemptum fidei nostræ, vel impediunt inquisitionis officium, aut committant aliquid in contumeliam, vel contemptum saluatoris: ut vituperando ecclesias, altaria, paramenta, sacramenta, & huiusmodi, per inquisitorem possunt puniri: secundum Ioan. de Cal. in quodam consilio ad inquisitores: quia ipsi inquisitori commissa est defensio fidei. ut in di. cap. ut officium. Præterea si non possent, se-

queretur, quod infideles essent melio-  
ris conditionis, quam Christiani, quod  
dicendum non est, idem tenet Direc.  
2. parte. ca. 46. Et licet ipsi non possint  
dici hæretici, tamē quia peccāt in ma-  
teria inquisitori subiecta, propter hoc  
contra eos procedere potest inquisi-  
tor. De hoc extant literæ cle. 3. Greg.  
X. & sic fuit conclusum Bononiæ per  
Docto. Ad hoc Panor. in c. postulasti.  
de iudic. Nam iudæus ratione delicti,  
potest fieri de foro ecclesiæ, in d. cap.  
pastoralis.

<sup>16</sup> INQUISITOR potest com-  
pelle testē ad iurandum de veritate di-  
cenda eidem in causa fidei, & eos plu-  
ries examinare, in dict. ca. vt officium.  
& potest in fauorem fidei admittere  
excommunicatos, participes, socios  
criminis, periuros, infames, crimino-  
sos, seruos contra dominos, hære-  
ticum contra hæreticum, credentes,  
fautores, receptatores eorum, vxor-  
em, filios, familiares, de hæret. capit.  
in fidei, libro sexto, non autem capi-  
tales inimicos. arg. in capi. accusatus.  
§. licet. eo. in sexto, & prædictos non  
admittit pro, sed contra. in dict. capi.  
filij, eo. li. 6. ar. in d. c. in fidei. & in glo.  
quia tales non admittit, nisi vt in iure  
exprimitur.

<sup>17</sup> INQUISITOR potest torquere,  
vel aliter punire testē, quos manifestē  
deprehendit in causa fidei esse falsos,  
& eum, qui contra fontem falso, &  
scienter, medio iuramento imposuit cri-  
men hæresis, quia hoc est de iure cō-  
muni: licet nihil de hoc habeatur in  
priuilegijs inquisitorum, vel in cano-  
ne de hæreticis, hoc tamen fieri potest,  
vt declarat Pa. de Li. a. in clem. 1. de  
hæret. super ver. aut tormentis expo-  
nere, &c.

<sup>18</sup> QUAMVIS inquisitor possit ali-  
quem de iuris subtilitate damnare per  
duos testē non singulares, secundum  
quod dicitur in Direc. 3. par. 9. 71. non  
tamen debet facere de æquitate: quia  
in criminalibus probationes debent  
esse luce clariore. C. de probatio. l.  
vltim.

<sup>19</sup> INQUISITOR secundum decla-

rationem Ioan. Andr. in cle. sæpē con-  
tingit. de verb. sig. potest procedere si-  
ne libello, sine contestatione litis, tem-  
pore, feriarum inductarum in fau-  
orem hominum, amputando dilatio-  
nes, abbreviando lites, repellendo fru-  
stratorias exceptiones, reseruando  
appellationes, iurgia partium, multi-  
tudinem testium, dando simul termi-  
num ad ponendum, & articulandum,  
primò & secundò, ad producendum  
omnia acta, & munimenta causæ, in-  
terrogando partes vbi suadet æqui-  
tas, non citando peremptoriè ad sen-  
tentiam, quam profert stans, vel se-  
dens, & non facta conclusione. Cita-  
re tamen tenetur, & recipere petitio-  
nem in scriptis, vel verbatenus tunc  
scribendam in actis, & sic in processu  
de substantialibus dimitti non debet  
aliquid, sed summarie, id est, breuiter  
fieri. Aliæ autem solennitates omitti  
possunt, dummodò iura alterius non  
lædantur contra naturalem æquita-  
tem, Vnde ius commune seruandum  
est, ad quod omnes tenentur. de con-  
sili. ca. 1. & hoc est procedere summa-  
rie, simpliciter, de plano, sine strepi-  
tu, &c.

<sup>20</sup> INQUISITOR cum dicefano  
possunt interpretari statuta edita  
contra hæreticos, vt patet in literis, Io-  
no. III. imò solus inquisitor, vt in lite-  
ris Alex. III. quæ incipiunt, Præ cun-  
ctis potest absolueret hæreticos ab ex-  
communicatione, vt in d. c. vt officium.  
non tamen reperitur quod possit dis-  
pensare super irregularitate si incur-  
rissent, quò ad factos ordines, gloss.  
final. in capitu. nos consuetudinem. d.  
12. Potest dispensare cum poenitentibus  
traditis carceri perpetuò, & in  
alijs poenitentibus iniunctis, vt in ca. vt  
commissi. de hære. lib. 6. potest proce-  
dere contra tales poenitentarios si non  
adimplent, si fugiunt de carcere, tanquā  
contra impœnitentes. de hære. c. Excom-  
municamus. el. 2. Potest dare poeniten-  
tias pecuniarias, pro sustentatione of-  
ficij sui, vt patet per direct. & Ioan. de  
cal. Potest dare indulgentias plures, vt  
patet ex priuilegijs pontificum: & ipse  
habet

habet plenariam indulgentiam, vt patet ex literis Inno. III. & etiã si in dicto officio moritur. Alia quæ potest inquisitor, vide in Direct. Hæc enim pauca posui quasi quoddam summarium. Qui plura voluerit scire, directorium videat inquisitorum.

## INSENSIBILITAS.

**I**nsensibilitas secundum Caieta. supra, peccatum est, quod committitur, quando sine rationabili causa quis in tantum abhorret, & fugit delectationes sensibiles, quod propter hoc nõ vult comedere, non vult se vestire vt decet, subtrahit debitũ coniugale vxori, & alia necessaria ad propriam vitam, vel debita proximo negligit: & tunc est mortale peccatũ, quãuis in paucis hoc peccatum reperiatur. Qui vero secundum virtutem temperantiæ ab huiusmodi abstinent, insensibiles non dicuntur. Thom. secunda secunda. q. 142.

## INSTIRPES.

**I**n stripes, vel in capita succedere quid sit, vide authent. de hæret. ab interst. col. 9. Hæc enim parum confessori profunt.

## INTENTIO.

**I**ntentio bona non sufficit ad bonum opus, vt cùm quis furatur vt det pauperibus, quia intentio bona est, opus autem malum. Tho. 2. sent. d. 38. a. 5. Sed bona voluntas sufficit ad bonum opus, quia bona voluntas habet intentionem, & bonum obiectum: sed tamen voluntas sine opere, quando adest facultas operandi, non sufficit ad meritum: nec verè est voluntas, sed velleitas. Si non adsit facultas, sufficit ad meritum essenziale, quod totum à voluntate informata charitate est: non autem ad premium accidẽtale, secundum Tho. prima secunda. q. 20. a. 5. & 2. sent. d. 40. a. 3. Mala autem voluntas, & intentio, sufficit ad malum, etiam sine opere.

**E**ffectus sequens actum voluntatis si est intentus, addit ad bonitatem, vel malitiam eius, vt ebrietas sequens potationem vini: si autem non est intentus, nec præcogitatus, si sequitur

de necessitate naturæ, aut in pluribus, etiam addit, si autem vt in paucioribus, & per accidens, non addit. Non enim datur iudicium de re aliqua, secundum illud, quod est per accidens. Thom. prima secunda, q. 20. a. 5. sed secundum illud, quod est per se, vel vt in pluribus, quia quasi determinata sunt.

**T**ribus modis opera humana possunt cum intentione applicari alteri, vel quando duo sunt in charitate, vnus pro alio potest satisfacere applicando illi opera sua: quia sic se habent sicut membra vnus corporis, quorum vnum pro alio satisfacit, vel quando prælatus etiam non existens in charitate applicat opera bona suorum subditorum existentium in gratia, alijs in gratia existentibus, vel per modum indulgentiæ, vt supra, Indulgentia. 5. 9.

**O**mni operatio procedens ab intentione humana deliberata, si est ordinata, & facta ab existenti in gratia, est meritoria, aliàs non est meritoria, licet sit bona. ex Thom. prima secunda. quæst. 18. a. 8. vt sunt opera virtutum moralium, & huiusmodi. Est tamen aliqua operatio, quæ non semper est meritoria, vel demeritoria. vt morale opus factum ab eo, qui sine gratia est, est enim bonum, sed non meritorium.

## INTERDICTVM.

**I**nterdictum est censura ecclesiastica. c. quarrenti. de ver. signi. & nõ debet inferri nisi monitione præmissa. c. repta. h. sensibiles. de appel. Debet tamen in scriptis fieri cum expressione causæ rationabilis. ca. medicinalis. eod. libr. 9. Non suspenditur per sequentem appellationem. cap. ad hæc. de appel. Causat etiam irregularitatem per celebrationem, sicut excommunicatio. ca. is cui. de sent. excom. li. 6. Huius quoque absolutio fit mediãte iuramento de parendo, & c. c. venerabili. de sent. excõ. Ligat etiam iniustum, dummodò non sit nullum. r. q. 3. c. sententia. Impedit in super electionem actiã, & passiuẽ. c. cùm dilectus,